



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Difficult. 1. Proponitur primum Argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

RESPONDETUR. Esse illam subjectam, non quoad suam in Deo reperibilitatem: neque enim abrogari potest à Deo; licet sit subjecta, quoad suum exerceri.

INSTABIS. Jus creaturæ in Deum, non debet esse obligatio instituta à Deo ad aliud, quam ut sit in utilitatem creaturæ, quæ obligatio potest esse, etiam circa potestatem absolutam.

RESPONDETUR. Si illud jus sit ex titulo fidelitatis divinæ, haberi posset à creatura, sed non sub onere injuriæ, obligationisque rigorosa.

OBJICITUR 5. Etiam supposita obligatione domini, potest adhuc salvari dominium in Deo idque duplici titulo. Imprimis, quia dominium debet esse respectu possibilem; hinc licet chymæram non possit Deus annihilare, est adhuc perfectus Dominus. Jam autem supposita promissione, non est possibile in Deo actus utendi re illa, prout voluerit. Deinde quia habet in potestate voluntates hominum, quibus aliquid promitteret, adeoque illas inclinaret, ad id non præstandum, quod eis promisit, si vellent non præstare.

RESPONDETUR. Quod ad primum attinet. Cum negemus obligari dominium Dei, negamus consequenter non esse possibilem actum utendi re illa, siquidem datur potentia illius actus inobligata. De chymæra disparitas est, quia non utendo illa, prout libuerit, nulla sequitur in dominio Dei: nunquam enim poterat illa uti, prout liberet. Si autem cum possit inante, uti re Deus ad libitum, nunc autem non posset, fieret mutatio in dominio, impossibileque est dominium in chymæras, possibile in obligabilitas potestatis.

Quod attinet ad secundum. Necdum salvabitur dominium Dei: quia ponetur dependens à consensu humano. Rursus per ordinem saltem ad gratias inefficaces, adeoque non impetrantes consensum, non posset sine injuria operari. Denique antecedenter ad impetratum consensum creaturæ, careret illa potestate. Illustrari solet instantia, si esset Petrus tam efficax in dicendo, ut posset persuadere creditori remissionem debiti, non ideo tamen esset Dominus stante debito, ita & in præsentia.

INSTABIS. Deus habet perfectissimum dominium nostrarum voluntatum, quamvis de illis non possit disponere independenter ab illis consentientibus. Ergo, & rerum obligatarum adhuc posset Deus habere perfectissimum dominium, quamvis de illis non posset disponere, nisi illis consentientibus, quibus obligavit dominium. Imò videtur de facto Deus obligasse suum dominium in voluntates creatas, in principis non prædeterminantium; siquidem uti illis non potest, independenter à consensu creaturæ.

RESPONDETUR. Cum nusquam habuerit

Deus potestatem, salvâ libertate necessitandarum voluntatum, quamvis eas non necessitet, verè adhuc manet non diminutum dominium, diminutum autem esset, si obligaretur, cum esset inobligatum. Adde quantumvis illas necessitaret adhuc injuriam non inferret, inferret autem, si procederet ut liberet, habendo obligatum dominium.

QUÆSTIO II.

An Creaturæ ad Deum, possit dari perfecta Justitia?

NEGAT VASQ. HURT. de Incarn. Becan. Merac. Ponunt illam alii cum Suar. in quantum illam ponunt in Deo. Aliqui illam negant in Deo, ponunt in creatura qualis Lugo. d. 3. n. 55. Falsolus autem 1. p. q. 21. a. 1. dub. 5. non ponit creaturam posse esse Deo justam, sed ponit posse esse injuriam.

DICENDUM est. Non posse dari strictam justitiam creaturæ erga Deum.

Probatio Conclusionis, quæ sit adferenda, ut videatur. Sit

DIFFICULTAS I.

Examinantur Argumenta Negantium.

CUM in 1. P. docuisset Vasq. non reperiri justitiam rigorosam, inter Deum, & homines, ut videre est disp. 84. Respondit illi Suar. præcipuè opusculo de justitia Dei. Iterato refutavit illum Vasq. 1. 2. d. 223. Aliqua ex illis adferenda sunt.

Punctum Difficultatis 1.

Proponitur Primum Argumentum.

PRIMA RATIO est ex Vasq. 1. P. d. 85. n. 18. petita ex natura objecti justitiæ commutativæ, cujus formalis ratio in æqualitate dati & accepti consistit. Objectum formale justitiæ commutativæ, ejus distinctivum, est æqualitas dati & accepti. Sed inter creaturam & Deum non potest esse dicta æqualitas. Ergo. Major probatur Auctoritate S. Thom. id docentis 1. p. q. 21. a. 1. & 2. 2. q. 61. a. 3. & Auctoritate Arist. 5. Eth. c. 2. ubi dicit, specialem justitiam versari circa tria tantum bona, pecuniam, honorem, & salutem, & nisi statuatur in his æqualitas justitialis, sequitur in omni virtute esse justitiam propriè & speciali modo: quia omnis virtus observat in sua operatione æqualitatem cum sua regula. Et, si facere aliquid secundum voluntatem superioris, quod illi placet, est opus justitiæ specialis, & ex tali opere constituitur æqualitas justitiæ in retribuendo mercedem, tunc sequitur, in omni opere bono esse datum, & con-

& contra passum, sicut in quovis contrahente cum alio, quod postulet retributionem ad justitiam. Et ita omne opus bonum erit justitiæ specialis, quod est omnes virtutes confundere. Deinde Arist. 5. Eth. 4. assignans justum commutativum, dicit illud esse in emendandis commerciis. Et in c. 5. in omni commutatione esse reparationem, eo quod pro accepto retribuendo, patiaturs abdicando dominium. Postremo, quia justitia debet esse inter duos retributionis capaces; quoties enim nihil interest unius, id quod alius facit, nullam cum eo justitiam commutativam servare potest. Ergo ad justitiam specialem requirit, ut utriusque mutuo sit, quod datur & accipitur. Min. probat ex illo Job. 25. *Si iuste egeris, quid donabis ei. Job. 22. quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confert, si fuerit immaculata via tua.* Deinde Deus ita est supra omnem creaturam, ut nulla re creata indigeat, nec aliquid extra se in suam cedat utilitatem, etiam si in honorem, gloriamque illius fieri dicatur: honor enim est in honorante, at inter honorem hominis & Dei magna differentia: quia dum honoratur homo, etiam si honor ipsius in alio sit, & ipse etiam ignoret, est tamen ei utilis: honor autem, quem Deo facimus, non est in utilitatem illius.

RESPONDET I. Suar. Opusc. de Just. Dei n. 14. hæc vera esse de justitia humana, quatenus tali, prout de illa egerunt Philosophi: neque eadem specie virtus moralis inclinat homines ad servanda hominibus jura, & servanda Deo; non esse autem vera de justitia formaliter & abstractius accepta, quæ sit virtus moralis inclinandis voluntatem hominis ad servandum illius jus divinum, quæ virtus erit formaliter commutativæ justitiæ: quia proprium commutativæ, est jus proprium alterius servare seu retinere. Et sic religio, prout est virtus reddens debitum Deo, est specialis justitia, sacrilegium non est contra justitiam humanam, est tamen contra justitiam, quæ reddit debitum Deo. Idem dicendum de blasphemia, quæ si sit contra veritatem fidei, sub hac ratione fidei opponitur, revera autem est sacrilegium contra Religionem.

CONTRA. Tum quia. Universaliter dictis locis egit Philosophus, de justitia, & si posuit ejus objectum quod excludit justitiam inter creaturam & Deum, hoc ipso negavit justitiam creaturæ ad Deum. Tum quia; dicit Vasq. proprium commutativæ esse jus alterius servare non quomodocunque, sed in ratione dati & accepti utilis, negabitque ulterius Vasq. religionem in rigore esse justitiam commutativam, eo quod non reddat debitum, quæ utile, concedetque Vasq. eundem actum ratione diversarum formalitatum posse diversis virtutibus opponi, ut adulterium opponitur justitiæ & temperan-

tia, sed negabit sub ulla formalitate sacrilegium opponi juri justitiali divino; cum non auferat Deo ullum utile.

ADDIT I. ad Responsonem Suar. cit. n. 17. Majoris est momenti, quod pertinet ad honorem & æstimationem alterius, quam ad utilitatem, & commodum, etsi in nobis honor; & fama utilitate mensurentur, ideo est, quia est inferioris ordinis; Divinus autem honor est per se æstimabilis; alioqui tantum illum Deus non commendaret, nec honor & gloria Dei possent esse materia specialis obligationis erga Deum, si Dei nihil interest opus illi promissum: nihil enim æstimabit quod fiat necne: potest item Deus facta sibi promissione & pacto, speciale jus acquirere, redditioque talis juris, formaliter ad justitiam pertinebit.

CONTRA est. Tum quia. Concedo esse majoris ex objecto momenti honorem & æstimationem, præ utili; sed nego quod honor possit esse materia justitiæ, nisi in quantum utilis est. Tum quia; quamvis honor creatus sit inferioris ordinis, est tamen verè honor, & nihilominus non est objectum justitiæ, nisi in quantum utilis, & si censeretur, ut ita dicam, inter bona inutilia, illius violatio, non esset injustitia. Ergo, cum Deo non sit utilis honor illius, non erit materia justitiæ. Concedo quidem Dei honorem, esse per se æstimabilem, sed nego quod sit æstimabilis in ordine ad justitiam, si non habeat formalitatem utilis.

ADDIT 2. Suar. Sæpe Deum pacisci cum creatura de operibus, intervenitque illic commutatio, ut etiam agnovit S. Thomas in 3. p. q. 85. a. 3. dicitque; illic intervenire commutationem quandam, unde æqualitas commutativæ non debet esse ut sic æqualitas dati & accepti cum mutua utilitate: id enim spectat nonnisi ad creatam commutativam. Sufficit ergo, ut ponatur commutatio aliqua, id est, exhibitio aliqujus actionis, vel passionis ex parte utriusque personæ, ut verum & proprium jus justitiæ, inter eas interveniat. Quod ipsum ulterius probat: quia commutativa inclinat voluntatem ad reddendum alteri, quod est aliquomodo suum ratione dominii, aut æquivalentis juris; ideo etiam includit necessitatem quandam, quam nomine debiti significamus, quæ necessitas oritur, vel ex injuria, vel ex contractu, aliàs, erit liberalis donatio.

CONTRA. Tum quia. Concedo, posse illic intervenire pactum; sed nego, quod pactum, commutativæ justitialis: deest enim specificativum, nempe datum & acceptum utile: Tum quia. Expresse S. Thomas dicit intervenire illic aliquam commutationem. Ergo non est rigorosa, adeoque nec justitialis propriè. Tum quia; nego ex dictis rationem dati & accepti cum mutua utilitate solum formalisare creatam justitiam: nam Philosophus definiendo com-

mutativam, respexit ad utile. Ergo, si hoc non habetur, in commutatione facta à parte Dei; hoc ipso non habetur definitio commutativæ, adeoque iustitiæ. Unde ulterius conceditur, commutativam includere voluntatem reddendi suum, sed nego, quod reddendi suum, quocumque modo, sed reddendi suum utiliter.

ADDIT 3. Idem. Quod dicitur commutativam versari circa tria bona pecuniam, honorem, & salutem, id verum est de iustitia humana, sed improbable est, esse hoc objectum iustitiæ commutativæ, ut sic: quia neque consequens potest aliqua ratione probabili suaderi. Quod ipsum illustrat. Misericordia si consideretur, quatenus inter homines exercetur, adæquata illius materia, sunt bona materialia: nam etiam in bonis spiritualibus non nisi mediis actionibus corporis subvenitur; & tamen agnoscimus fieri misericordiam per interiores actus, ut orando, per externas item actiones Sacramentorum &c. quamvis Aristoteles has materias non agnoverit. Ergo, sicut non sequitur, non dari misericordiam altiore, ita nec sequitur non dari iustitiam altiore. Quod ipsum ulterius ex hoc colligit Suar. Quia quod illa bona, sint materia iustitiæ inter homines, inde est: quia non nisi in his bonis, homo potest lædi, vel ditior aliquo modo fieri: si ergo dentur personæ intellectuales inter quas possit esse communicatio in alio genere bonorum, poterit etiam esse jus proprium ad tale bonum: unde universaliter materia adæquata commutativæ erit, omne illud bonum, quod quis debet, & potest conferre alteri ex vi proprii juris.

CONTRA. Tum quia. Immerito assumit Suar. Consequens illud non habere fundamentum: ponit enim Aristoteles cit. hæc verba. *Sed hæc tamen* supple particularis commutativa) *circa honorem, aut pecunias, aut salutem, aut si cuncta nomine non possent comprehendere, circa ea omnia versatur, ab voluptatem, quæ à lucro consequitur.* Ubi ut vidimus rationem communem pecuniæ, famæ, salutis, constituit Aristoteles, voluptatem è lucro, seu utili consequentem, quo posito inferitur consequens. Ergo, si Deus non habet lucrum, comparatus ad creaturam, non habet etiam iustitiam commutativam: nam hæc per Aristotelem, respicit lucrum, & si definitivè per Aristotelem respicit commutativa lucrum, cum hoc non reperitur in Deo, non reperitur definitivè commutativa, adeoque neque ipsum definitum, commutativa iustitia. Optime autem inferitur consequens, & probatur consequentia à negatione definitionis ad negationem definiti. Tum quia, ea quæ adfert de misericordia, non convincunt: nam si definitivè misericordia esset subventio corporalis, excluderetur etiam illa à Deo; sed quia definitivè misericordia, est subvenientia

alienæ miseriæ, bene illa ponetur in Deo, cum illi hæc definitio conveniat. Quia autem definitivè, per Aristotelem, debet esse commutativa circa lucrum seu utile, cumque Deus nullam utilitatem ex operibus nostris percipiat, bene inferimus, Deo commutativam non convenire. Tum quia. Nego bene prædictam commutativam à Suar. assignari; nisi addatur, quod debeat conferre alteri utile: quia nisi hoc addatur, non ponetur ad mentem definitionis voluptas lucri. Cum tamen posita sit ab Aristotele; hinc eam non ponere, erit non ponere hoc, quod posuit, tanquam rationem definitivam Aristoteles.

ADDIT 4. Idem. Quomodo contra passum ad hanc iustitiam requiratur. Non enim requiritur, ut ab alio accipiat aliquid utilitatis: nam quando promissio obligat ex iustitia, ille, qui solvit, nihil ab illo accipit utilitatis; sæpeque etiam inter homines ponitur stipendium ex iustitia, pro opere nullius utilitatis, imò nec voluntatis, ut si quis det stipendium, ut interficiat, vel mutilet innocentem. Et si dicas esse utilitatem: quia expletur illius appetitus & voluntas; est hoc abuti terminis; alias implere voluntatem Dei, quando aliquid præcipit, esset aliquid facere in utilitatem illius. Non etiam requiritur, ut qui retribuit, mali aliquid patiatur: nam per se hoc non nisi necessarium est, ut jus alterius exæquetur. Quod autem hoc fiat per privationem dominii alterius, per accidens est. Et sicut in subveniendi alteri semper aliquis se privat dominio rei, vel saltem usu, aut onus aliquod suscipit, neque tamen de ratione misericordiæ est repassio. Ergo quamvis iustitia humana involvat repassum, non sequitur, quod involvat iustitia, ut sic. Et sicut potest aliquis subvenire miseriæ sine repassione, ut si pro altero oret, ita & in iustitia evenire hoc potest, casu, quo quis ex stipendio teneatur talem orationem facere. In hoc ergo solo stabit repassio, quod tanta debeat esse retributio unius, quanta fuit operatio alterius.

CONTRA. Tum quia. Ut urget Vasq. l. 5. d. 223. replicans rationes Suarii. Ea quæ adfert de misericordia, non convincunt: quia nemo dicit de ratione misericordiæ, esse abdicationem dominii. Unde etiam inter homines est sine abdicatione dominii; dato v.g. solo usu fructus. Jam autem repassioem requirit Aristoteles ad iustitiam, & commutativa inter homines, non est sine abdicatione dominii. Tum quia. Quando aliquis accipit pecuniam, ut interficiat innocentem, onus illud occidendi, non potest non esse pretio æstimabile. Tum quia. Nego, quod ille, qui ex iustitia solvit promissum, nihil accipiat utilitatis, quamvis hic & nunc non accipiat, & si nihil accipit utilitatis, obligabitur ad solutionem ex mera fidelitate. Tum quia. Nego, non percipi à condu-

gen-

R. P.
H. M. L. O. D.
la. 10. w. s. k.
Tom. 3. et 4.
D. VI
6

cente utilitatem ex occisione innocentis, qualis esset v.g. utilitas ne se infestet, ne causam urgeat &c. hinc non erit utilitas illa oriunda ex practica impletione voluntatis conductoris: sed alia erit utilitas, quam innui, vel alia similis. Tum quia. Nemo de definitiva ratione misericordiae etiam creata, ponit repassionem: Jam autem cum non loquatur de justitia creata Aristoteles, sed de justitia sine addito, censendus erit loqui de justitia ut sic; ad quam tamen repassionem requirit. Tum quia. Casu, quo quis orationem teneatur ex justitia facere, interveniunt ea, quae assumit argumentum, nempe utilitas ejus, qui conducit, & utilitas ejus, qui conducitur, ratione pretii, consequenter habetur etiam passio, & repassio: & si non haberet utilitatem ex oratione, non solveret ex justitia. Tum quia; ad repassionem debet quidem esse tanta retributio, quanta fuit operatio alterius, sed non quomodocunque, sed prout habet rationem utilis.

ADDIT 5. Idem, varias instantias, quibus probat latius patere justitiam, quam commutationem inter homines, quia inter Angelos ipsos in pura natura consideratos, talis commutatio potuisset reperiri, & si verum est, posse unum Angelum vim inferre Angelo alteri, hæc actio posset esse inter illos injuriosa. Item si illum decipiat in contingentibus & liberis, vel infamet. Item si non exhibeat honorem, quem fortè ratione officii, alteri debet.

CONTRA. Ex Vasq. Dispar est ratio de Angelis: nam illi commodi, & incommodi capaces sunt, secus Deus; adeoque prædicata definitiva commutativæ justitiæ, poterunt ad Angelos etiam extendi, ipsaque virtus justitiæ, intercedere inter illos.

RESPONDET 2. Ripalda. Tenere Aristotelem L. 4. Eth. c. 3. ad justitiam pertinere exhibitionem, vel ablationem honoris, licet strictè utilis honor non sit.

CONTRA est. Quia sub termino, fama, quæ etiam est materia commutativæ, includuntur omnia bona, adeoque & dignitas. Et sicut fama strictè utilis non est, quia aliam habet definitionem, & nihilominus ut sit materia commutativæ, per Aristotelem debet habere rationem lucri, ultimoque per lucrum formalisari: ita & dignitas, ut sit materia commutativæ, debet habere rationem utilis.

RESPONDET 3. Lugo de Incarn. d. 3. n. 64. Quod etiam ante illum innuit Suar. opusculo citato n. 27. Argumentum multum probare, illa bona non posse esse etiam materiam charitatis & amicitiae erga Deum, imò nec fidelitatis: Nam sicut justitia inclinat ad servandum jus alienum, circa commodum & utile: sic amicitia ad desiderandum commodum amici, fidelitas ad implenda promissa circa utile: nam promissio de re indifferenti, quod impleatur

non refert: quamvis ergo peccatis non lædatur intrinsecè Deus, quia tamen aestimatio extrinseca est prudenter appetibilis, poterit ad hæc ipsa, dari jus in Deo.

CONTRA est. Tum quia, admittit amicitia, ne respiciatur utile. Hinc si aliquis amet alium, quia hoc sibi utile est, non censetur esse amicus; si ergo admittit, imò requirit ne respiciatur utile, poterit esse bene contenta amicitia etiam extrinsecis bonis amici, & non tantum intrinsecis. Unde etiam amicitia non definitur per velle utile & lucrosam alteri: quia autem definitur commutativa per rationem lucri, si hæc ratio non reperitur, non reperietur commutativa. Tum quia. Nego titulo fidelitatis, neminem obligari ad danda indifferentia: semper enim veridicitati, negatione etiam indifferentis rei, contraveniretur; ad dandum autem utile quæ tale, superaccedet adhuc titulus justitiæ. Tum quia. Concedo aestimationem externam esse prudenter appetibilem, sed nego, posse appeti à Deo, tanquam illi utilem. Consequenter, nec tanquam materiam justitiæ.

Hæc sint dicta pro defensione Argumenti Vasq. de quo ipso Argumento, quid sit ex objecto sentiendum, infra dicetur.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur secundum & tertium Argumentum.

SECUNDA RATIO est ex eodem Vasq. Nulla creatura, aut peccatis suis, aut alio modo potest inferre Deo damnum. Ergo, etiam & nihil tribuere illi potest, quod verè in utilitatem & compensationem Dei cedat: contrarium enim eadem debet esse ratio. Unde blasphemiae, sacrilegia, & odium Dei non sunt propriè peccata injustitiæ: opponuntur enim aliis virtutibus: blasphemia fidei, sacrilegium religioni, odium charitati, quæ à propriè justitia maxime differunt. Unde etiam per S. Thom. 3 p. q. 85. a. 3. *Etiam si penitentia sit pars justitiæ, in ea tamen non servari justum simpliciter*, quod ipsum ostendit, *penitentiam non esse justitiam rigorosam, adeoque non esse partem subjectivam, sed potestativam justitiæ.*

RESPONDET 1. Suar. Quod hic non ponatur justitia talis inter Deum & homines, qualis ponitur inter ipsos homines. Unde talis justitiæ pars subjectiva non est justitia erga Deum, sed est pars justitiæ formalis & abstractius accepta, quæ sit virtus moralis inclinans voluntatem hominis ad servandum illatum omne jus, & dominium divinum, quodcunque illud sit: consequenter dicit, reddere cultum Deo debitum, non pertinere ad justitiam commutativam humanam, sed ad divinam, quæ Religio appellatur.